


LVNÆ DIE 14 M. APRILIS A. 2003

A.d. XVIII Kal. Maias a. MMIII

II3

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS

Gaius Licoppe

COMPOSITRIX

Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



TVRCIA QVALIS SIT

His temporibus uberrime disputatur utrum Turcia in Unionem Europæam accipienda sit necne. Tum fautores cum adversarii sua argumenta proferunt, sed omnibus imprimis occurrit insuperata difficultas : nondum exstat definitio Unionis Europææ ; oportetne Europæarum nationum vinculum sit morale, culturale, historicum an geographicum ? ¶ Statim oritur hæc interrogatio : cur nondum exposita sunt criteria, quibus Unionis Europææ fines definiri possent ? Responsum infeliciter patet ; nam Communitas Europæa post multos annos ad consensum de his criteriis nondum pervenit. ¶ Michæl Rocard, qui præses Consilii Francogallici quondam fuit atque nunc præest Europæi Parlamenti Commissioni Culturali, autumat propositum Europæa condendæ, quæ in scæna mundi una voce loqui et certi ponderis esse valeret, collapsum esse anno 1973 cum Regnum Unitum in Communitatem Europæam acceptum esset ; Francogallia etiam suum proprium dominium Europæo regimini tradere non vult. Quæ cum ita sint, Unio Europæa, ait Michæl Rocard, tantum est consociatio nationum apta ad vicinitatem pristinorum hostium pacifice gerendam atque ad negotiatorum æmulationem faciliorem faciendam ; inde optatur ut res œconomica magis floreat et iura hominum melius respiciantur. ¶ Hac comperta definitione, de argumentis pro vel contra Turciæ admissionem facilius iudicatur. ¶ Valerius Giscard d'Estaing, Conventionis Europææ Constitutioni Elaborandæ præses, nuper proclamavit Turciam in Unionem Europæam non esse accipiendam. Argumentum geographicum imprimis affert : Turcia non est in Europa. Postea argumentum historicum : ignorare non possumus Europæ Christianæ diuturnum vehementem certamen contra vexillum viride prophetæ Mahumeti, quod Imperium Othomanicum usque in mediam Europam protulit. ¶ Utrique argumento contradictio simul afferri potest. Non solum enim Turciæ pars, etsi parva, qua continetur præstans Constantinopolis, est in Europa geographica, sed insuper fines historici Europæ usque ad Euphratam patuerunt per multo plura sæcula, quam per quæ vixit Imperium Othomanicum. Asia Minor referta est eximiis vestigiis cultus Græco-Romani. Ancyra, in ipsa urbe capite Turciæ hodiernæ, sunt ruinæ templi Romæ et Augusti, in cuius pariete sexto decimo sæculo inventus est textus Latinus et Græcus quo narrantur res gestæ imperatoris Augusti. Nonnulli ex optimis initiatoribus cultus Europæi in Asia Minore nati sunt, Herodotus Halicarnassius, Thales Milesius, Heraclitus Ephesius, Strabo Amasianus, ne plures citentur. ¶ Ergo argumentum historicum, si adhibetur, non est coartandum ad solam æta-

tem Christianam, ubi sævierunt bella religiosa, sed etiam extendendum ad ipsos fontes Græco-Romanos nostri cultus civilis. ¶ Francogallus historicus Renatus Grousset in optimo libro *de Orientis Imperio (L'Empire du Levant, Parisiis, Payot, 1949)* hanc Europæa definitionem affert : « Europam voco cunctas regiones, quæ hereditatem a cultu Hellenico ceperunt. Mens Europæa sui ipsius conscia primum facta est in Hellade, quinto sæculo, cum Asiani profligarentur Marathone et Salamine. Inde, servata Helladis libertate, per octo sæcula ingenium Hellenicum mansit liberum atque mentem Europæam aluit. Decursu temporum notio Europæ non desiit latius patere et præstantior fieri, hoc sine nimia sui fundamenti mutatione. Imperium Romanum effecit ut Latinitas et, per eam, totus orbis occidentalis cultum Hellenicum sibi assumeret. Christianismus mediævalis hunc cultum in orbem Germanicum et Slavicum extendit. Recentioribus temporibus, reditus ad Hellenismi fontes redintegavit Hellenicam mentem scientificam ; ex hac Renascencia orta est scientia moderna eademque Europæa. » ¶ De Europæa finibus Renatus Grousset addit limitem inter Europam et Asiam decursu sæculorum sæpe mutatum esse. Pro Atheniensibus quinti sæculi a.C.n., limes situs erat inter Miletum et Sardis. Alexander Magnus Europæa fines usque in Asiam centralem ita extendit, ut secundo sæculo regnum Hellenisticum in Bactriana floreret. Primo tamen sæculo a.C.n. Europæa limes a flumine Indo recesserat ad Euphratam, ubi diutissime mansit. ¶ Hellenizatio Asiæ Minoris, Syriae et Ægypti hunc inexpectatum effectum habuit, quod mens orientalis orbem Hellenisticum penetravit. A secundo sæculo p.C.n. religiones Semiticæ, Persicæ et Ægyptiacæ imperium Romanum invaserunt atque a quarto sæculo imperatores Romani apparatus aularum orientalium sibi assumpserunt. Postea Imperium Byzantinum in rebus politicis plerumque se gessit modo Persico, in rebus religiosis modo Semitico. Septimo sæculo Asia, Islamismo inopinanter incensa, magnam rebellionem incohavit, qua Hellenismum expulit etiam ex Africa, quin etiam partim ex Europa. ¶ Stephanus Yerasimos, historicus Imperii Othomanici qui in Universitate « Paris VIII » docet, dicit Imperium Othomanicum ante duo sæcula cœpisse cultum Occidentalem sibi paululum assumere. Anno 1856, post bellum Tauricum (v. *Crimée*) quo Angli una cum Francogallis Russos vicerunt, Imperium Othomanicum agnitum est ut particeps concentus politici Europæi. Tam infirmi tamen fuerunt progressus, ut Imperium Othomanicum, in dies magis magisque debilitatum, vocaretur « Homo æger ». ¶ Historia scætet inexpecta-

tis eventis, ut est Turciæ singularis ortus. Post primum bellum mundanum, cum profligatum Imperium Othomanicum corrueret atque dilaceraretur, vir eximiæ virtutis atque ferocis ingenii intra paucos annos hoc efficere valuit, quod sultani Othomani intra duo sæcula facere non potuerant. Mustapha Kemal, humili familia Thessaloniciæ anno 1881 natus, studia militaria Ruspinae (v. *Monastir* vel recentius *Bitola*) in Macedonia perfecit. Mirum in modum ei in mentem venit « Hominem ægrum » non esse ipsum populum Turcicum, sed Othomanorum sultanatum. Vehementissimum odium animo concepit contra hoc imperium heterogeneum, quod non solum infestum fuit populis Christianis atque Arabicis, sed ipsi populo Turcico, a sultanis omnino neglecto. ¶ Maxima sultanorum proditio, eorum inexpiabile scelus, fuit religionem extraneam Turcis imponere, quæ eis non conveniebat eosque debiles fecit. Qualis enim religio, quæ poscit ut homo se totum permittat potestati Domini, i.e. non solum Allah, sed ipsius sultani ! Præterea, religio Islamica non solum est doctrina theologica, sed singulorum hominum vitam cottidianam regit. Coranus certe est liber precum, sed insuper est codex legum, quas stricte observandas curant clerici. Iura, consuetudines, usus a religione discerni omnino nequeunt. Hoc modo, clerici Mahumetani Turcos fecerunt ignaros stultosque ; vetuerunt Turcos ad scientiam modernam accedere eosque superstitione vinctos ad servitutem redegerunt. ¶ His cogitationibus impulsus, Mustapha Kemal res stupendas fecit. In ruinis Imperii Othomani nationem Turcicam creavit, nationibus Europæis, quas admirabatur, similem. Artiores sed certos fines Turciæ dedit. Sultanatum et paulo post califatum suppressit ; Constantinopoli, venerabilem ecclesiam Hagia Sophiae, quam Othomani meschitam fecerant, in museum omnibus patens transformavit. Rem publicam omnino laicam instituit, ubi feminæ eisdem iuribus fruebantur ac viri. Vetuit ne diutius gererentur traditæ Mahumetanæ vestes ; omnes, viri et feminæ, modo Europæo se vestire debuerunt. Litteris Arabicis, quibus incommodè scribebatur lingua Turcica, substituit litteras Latinas. Ipsam linguam Turcicam, tempore Othomanorum valde corruptam, a grege philologorum purificandam curavit. Scholas religiosas clausit atque scholas modernas instituit, ubi eadem materiæ tradebantur ac in Europa... etiam lingua Latina. Tantam vero multitudinem indoctorum hominum erudire erat opus ingens atque diuturnum, quod imperfectum reliquit Mustapha Kemal, cum anno 1937 vita functus est. ¶ Ergo ille, qui merito vocabatur Ataturk (i.e. Pater Turcorum), omnia necessaria fecit ut Turcia chorum

nationum Europæarum participare posset. Eius successores infeliciter non satis magnam operam dederunt ad populum erudiendum ; quare numerus incolarum multo celerius crevit quam plerorumque doctrina ; multi adhuc inhabiles sunt ad œconomiam modernam participandam atque vitam miserabilem degunt ; inde iterum auctum est momentum religionis Islamicæ. ¶ Tale regimen democraticum, quale exstabat in Rebus Publicis Europæis, Mustapha Kemal ad finem vitæ etiam instituere voluit, sed hoc non bene successit. Politici maiorem curam habebant de suis ipsorum bonis, quam de patriæ prosperitate atque de populi educatione. Propter eorum incuriam res sæpe tam male se habuerunt, ut duces exercitus, dimissis politicis, regiminis habenas ipsi tenerent ; quod ter factum est annis 1960, 1971 et 1980. ¶ Multi in Europa occidentali non intellegunt quanti momenti sit exercitus in Turcia. Officarii, triginta circiter milia numero, solum eliguntur inter iuvenes bene eruditos ; quod munus habetur pro honore eximio. Iidem Mustaphæ Kemal memoriam colunt atque operam dant ne quid mutetur in via quam ille indicavit. Hoc maximi momenti esse tamdiu perget, quamdiu magna populi pars manebit indocta atque pauper, i.e. inhabilis ad veram democratiam sustinendam. Stephanus Yerasimos, historicus quem supra iam citavi, dicit Islamicum motum solum inductum esse difficultatibus œconomicis socialibusque ; cum totus populus satis bonas vitæ condiciones adeptus erit, tunc neque religionis, neque immigrationis quæstionem obstaturam esse quominus Turcia Unionem Europæam participet. ¶ Status œconomicus iam melior est in Turcia, quam in Dacoromania, in Bulgaria vel in Polonia. Hugo Dicke, Germanus œconomista, monet Turciam iam ab anno 1963 Communitati Œconomicæ Europææ consociatam esse, unde fit ut pæne sit particeps Unionis Europææ, quod quidem spectat ad comestum mercium, ministeriorum pecuniæque. Addit tamen hoc : si duodeseptuaginta miliones hodiernorum Turcorum, quorum plerique sunt agricolæ, nunc in Unionem Europæam plene intrarent, hoc magni pretii constaret propter auxilia, quæ agricolis ferenda essent vi Fœderis Europæo. ¶ Ad summam, patet Turciam iam magnam partem viæ quæ ad Europam ducit percurrisse. Digna est quæ ad reliquam partem emetiendam adiuvetur. ❧

Gaius LICOPPE

LATINITAS ET CETERÆ LINGVÆ VNIONIS EVROPÆÆ

- scripsit Ericus Palmén -

Anno 1999 Kalendis Iuliis patriæ meæ Finniæ mandatum est munus internationale magni ponderis : præsidatus Unionis Europææ dimidium annum duraturus. Huius in initio inter Finnos et quosdam ministros peregrinos contentio minus iucunda orta est de linguis, quæ in consultationibus ministrorum publice usurpantur. Cum iam antea in Unione Europæa communi pacto decretum esset, ut res nonnisi Anglice aut Francogallice tractarentur aut principali lingua officiali eius terræ, quæ præsidatum gereret, Finni illo decreto nisi ceteras linguas e conventionibus ministrorum excludere statuerunt. Hoc ægerrime tulerunt præsertim Theodisci ministri, qui propter relationes commerciales inter Finniam et Germaniam iam pridem iunctas expectaverant fore, ut omnia Theodisce quoque redderentur, et hac spe delusi a consultationibus abesse cœperunt. Quin etiam commentatio *Lapsus tironis* inscripta de hac re in quibusdam actis diurnis Germaniæ edita est. Mox Finni in ea non opportunum locum pertinentiæ esse rati Germanis morem gerere maluerunt et interpretes Theodisce scientes conduxerunt, nonnullis quidem querentibus rursus verum exstitisse versiculum Phædri *Contra potentes nemo est munitus satis* (2,6,1), id est fieri non posse, quin natio minor, quamvis præsidatum gereret, maiori succumberet.

Contentio dicta egregie illustrat, qualia nobis Europæis oriantur problemata, cum Europam, ubi tot nationes lingua et institutis et legibus inter se differentes habitant, redintegrare conamur, ut ea, quæ incolæ huius partis terrarum magni æstiment, concordet et coniunctis viribus agere possimus. Unio Europæa numquam civitas fœderata fieri poterit similis Civitatum Unitarum Americæ septentrionalis, ubi lingua Anglica ceteris linguis plane prævalet. Talis monolinguis ab Europa est prorsus alienus : plurimæ nationes Europææ propriam linguam vernaculam iudicant haud exiguam partem esse identitatis nationalis, qua desistere non possint. Eo igitur tendatur necesse erit, ne inania maneant verba celeberrima *In varietate concordia* in Unione Europæa duodecim linguis dicta et publice approbata, verum ut etiam re quam maxime observentur.

Incipiente anno 2000 Finni in universum æstimabantur haud male per tribulationes præsidatus Unionis Europææ se expeditisse. Nihilo minus manifestum est nos sine illo « lapsu tironis », quem commemoravi, etiam melius res gesturos fuisse. Administratores rei publicæ Finnicæ quodam modo gregis pedifollici partes agere statuerant ac peregrinis demonstrare ne parvam quidem nationem facile profligari posse. Iidem, si nosset versiculum *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt*

(Seneca, Epist., 107,11) ac temperi præsensissent, quid futurum esset, fortasse hospitii legibus obsequi maluissent et, cum res posceret, sua sponte extraordinarios interpretes conduxissent. Quæcumque in Unione Europæa antea decreta erant de limitando numero linguarum, quæ in consultationibus adhiberentur, nequaquam eo tendebant, ut omnino illicitum esset pluribus linguis uti. Non quidem gratuitæ sunt ministrationses interpretandi, sed admodum magni constare solent ; at in talem usum optimo iure ipsa Unio Europæa, si rogata esset, nonnihil subsidii assignare potuisset. Hodie in variis actis Unionis Europææ in diversas linguas convertendis plurimum pecuniæ consumitur, nec tamen versiones ita exaratae plerumque carent tortuositatibus obscurissimis, quas nonnisi iuris consulti earum periti aliquatenus intellegunt.



Nunc quærat quispiam : ista omnia quidnam ad Latinitatem attinent ? Neque enim Latinitas lingua officialis est Unionis Europææ, nec desunt, qui ei ibi etiam rarioris linguæ condicionem negare velint. Ne ego quidem adeo sum optimista, ut confidam in Latinitate solutionem inveniri talium interpretandi problematum diplomaticorum, qualium exemplum supra commemoravi, et quæ crescente numero nationum sociarum Unionis Europææ pari passu augebuntur.

Neque tamen ullum est dubium, quin, quo magis et efficacius Europæi Latinitate erudiantur, eo meliorem habituri sint facultatem etiam alias linguas peregrinas discendi. Eam enim Latinitas habet peculiaritatem, quod in plurimis maioribus linguis Europæis velut inclusa versatur. Hoc ante omnia valet in linguis Romanicis - Francogallica, Italica, Hispanica, Portugallica -, quæ filiæ sunt Latinitatis, id est ex ipsa Latinitate vulgari duobus milibus annorum ortæ. Linguæ Germanicæ item consobrinæ Latinitatis iudicari possunt : non quidem heredes sunt Latinitatis, sed ex eadem lingua Protoindoeuropæa, ac Latinitas filiæque eius, paullatim evolutæ. Linguam Anglicam consobrinam familiæ Latinæ nuclearis, ut ita dicam, creberrima consuetudine usam existimare possis ; tantum enim vocabulorum Latinorum ea sæculis labentibus ante omnia per linguam Francogallicam acquisivit, ut textum Anglicum præsertim scientificum legenti similitudinem quandam linguarum Romanicarum præbeat. Medio ævo Latinitas, quamvis nullius iam esset sermo patrius, ubique fere in Europa pro prima lingua peregrina discebatur. Ita prope parem condicionem habebat,

ac lingua Anglica hodie toto fere orbe terrarum habet. Tum enim Latinitate non tantum docti homines in omnibus disputationibus academicis et ecclesiasticis, sed etiam in varii generis rebus internationalibus et diplomaticis communicandis utebantur.



Quo modo Latinitas talem condicionem assecuta sit, intellegere non poterit nisi qui vices principales historiæ eius cognoverit. In his memoria repetendis par est a sexto fere a.Chr.n. sæculo proficisci, quo Latinitas, una e linguis quæ vocantur Italicis, tantummodo a latronibus in regione Romæ hodiernæ armentum pascentibus usurpabatur. Hi territorium suum augentes sermonem suum in totum Latium induxerunt, unde ipsæ elocutiones *lingua Latina* et *sermo Latinus* et *Latinitas* originem trahunt. Paullatim idem sermo cum legionibus Romanis in aliis partibus Italiæ atque etiam extra eam ita percrebruit, ut ceteræ linguæ in occidentalibus terris Mari Mediterraneo adiacentibus usurpatæ aut omnino proculcarentur aut nonnisi modicum usum retinere possent.

Nec tamen hæc tanta celeritate evenerunt, ut exercitus Romanus quovis penetrans statim superbe : *Veni, vidi, vici!* (cf. Sueton. Iul. 37,4) gloriari posset. Immo tertio a.Chr.n. sæculo bellis Punicis ortis legiones perpetuis victoriis assuetæ nonnumquam tantis discrimini-bus obiectæ sunt, ut incertum esset, utrum Romani an Pœni sive Carthaginienses in litore septentrionali Africæ habitantes commeatum Maris Mediterranei essent dominaturi. Finito secundo bello Punico populus Romanus, quamvis victor, prope victo similior videbatur. Sequentibus decenniis Carthaginienses expectatione multo celerius e cladibus suis evaserunt et convaluerunt. Hac de re sollicitus censorius M. Porcius Cato in senatu monere non destitit aliquid esse faciendum, ne pristinam potestatem recuperarent ; quin etiam omnes orationes suas, quacumque de re in iis egerat, his verbis concludere solitus esse traditur : *Ceterum censeo Carthaginem esse delendam!* (cf. Florus, 1,31,15,4-5). Anno a.Chr.n. 149 denique tertium bellum Punicum susceptum est, quo Romani Carthaginem funditus deleverunt. Manifestum est, si ex illa serie trium bellorum Carthaginienses superiores discessissent, Romanos ne postea quidem ullis terris Europæ et Asiæ et Africæ potituros fuisse, neque nos in cultu civili Romanorum antiquorum heredes futuros fuisse.

Aliud discrimen mentione dignum, quo Romani graviter temptati sunt, fuit calamitas Teutoburgiensis, quam Cherusci Germani anno p.Chr.n. 9 iis attulerunt.

Hi patriæ liberandæ ardore flagrantes, cum insuper peritia locorum domesticorum prævalerent, legiones eorum, quibus præerat P. Quintilius Varus, duce Arminio tanta clade affecerunt, ut Romani illius regionis imperio desistere cogerentur. Ipse Augustus clade cognita desperans exclamavisse fertur : *Quintili Vare, legiones redde!* (Sueton. Aug. 23,4). Neque tamen hac in re iam id agebatur, utrum populus Romanus et sermo Latinus omnino superstites futuri essent necne ; namque his temporibus in Europa occidentali dominatio Romana adeo stabilita erat, ut ne tanta quidem calamitas eam labefactare posset. In Germania autem Romanis post eam non iam contigit, ut plus potestatis obtinerent, quod etiam nos in tabula geographica Europæ videre possumus : Rhenus flumen in hodierna quoque Europa confinium quoddam est nationes linguæ Romanicis loquentes a ceteris dividens.

Tertia res, quæ Romanis aream Latinitatis ampliare tendentibus obstaculum imposuit, fuit lingua Græca in terris orientalibus imperii Romani iam pridem stabilita. Animi culturam Græcam Romani multis sæculis ante Christum natum cognoverant, primum in coloniis Græcis Italiæ meridionalis et Siciliæ, quibus commune nomen *Magna Græcia* erat. Præsertim tertio a.Chr.n. sæculo Græci suam animi culturam sensim in fines Romanorum afferre cœperant. E.g. educationem puerorum instituentes Romani a scholis Græcorum exempla idonea petebant, itemque elementa litterarum nationalium creantes primo opera celeberrima litterarum Græcarum aut Latine reddebant aut libere imitabantur. Sequentibus sæculis, cum e secundo bello Punico se expedivissent, non solum in occidentem et septentrionem, sed etiam in orientem versus legiones armatas ducebant. Tandem universæ civitates, quæ vocantur Hellenisticæ, sub potestatem Romanorum redactæ sunt ; ultima earum, Ægyptus, anno a.Chr.n. 30 iis succubuit. Interim lingua Græca in Italia quoque iuxta Latinitatem velut altera lingua domestica facta erat, quam in superioribus gradibus scholæ omnes discere debebant, atque in terris orientalibus inter has duas linguas certamen sui generis ortum est.

Pluribus linguis in aliqua terra inter se de principatu certantibus plerumque duæ sunt res, quæ alicui earum adversus ceteras tela efficacissima offerunt : qui maiorem habent potestatem politicam, eorum lingua ceteras suppressere solet, itemque qui in animi cultura longius processerunt, suam linguam facile reliquis superimponunt. In occidente Romani, cum in utraque re nationibus a se victis superiores essent, facillime Latinitatem linguis localibus nationalibus superimposuerant. In Hellenisticis autem terris alia erat condicio

rerum : politicam quidem potestatem Romani obtinuerant, sed lingua Græca ibi iam pridem usurpata in omni animi cultura plane prævalebat. Itaque Romanis, quamvis manifesto rerum potiti essent, tamen nunquam contigit, ut linguam Græcam ibi de statu principali depellerent et Latinitatem in locum eius substituerent. Græci in variis rebus præceptores erant Romanorum, quo effectum est, ut diversis ætatibus creberrima vocabula Græca in Latinitatem confluerent, cum in Græcam linguam perpauca vocabula Latina admitterentur.

Plurimi Romani etiam ipsi intellegebant se in animi cultura Græcis multum debere ; e.g. Plautus in prologo cuiusdam comediæ suæ ait eam a Demophilo scriptam et a semet *barbare*, id est Latine redditam esse (Asinaria II), ac postea Horatius in quadam epistula ita dixit : *Græcia capta ferum victorem cepit et artes / intulit agresti Latio* (Epist. 2,1,156-157). Nonnulli quidem animi culturam Græcam aperte aspernantes impedire conabantur, quominus Romæ domicilium inveniret – inter alios M. Porcius Cato modo laudatus, castigator ad mores maiorum Romanorum tuendos semper paratus. Is quandam legationem philosophorum Græcorum, quæ Romam venerat, admodum aspere tractavisse traditur, quin etiam apud eos consulto lingua Græca male locutus esse, ut ita demonstraret se eam indignam habere, quæ disceretur. Attamen in senectute ipse Cato quoque velut furtim litteras Græcas didicit et, si Ciceroni credimus, eas *avide* arripuit, *quasi diurnam sitim explere cupiens* (cf. Cicero, Cato Maior 8,26).

Bilinguismus ita stabilitus una fuit e rebus, quibus ascribi oportet, quod postea imperium Romanum in duas partes divisum est. In occidentalibus enim terris eius Latinitas, in orientalibus Græca lingua prævalebat. Velut pæninsula Latina nationibus Græce loquentibus contigua iudicari potest Dacia, quam Traianus primo decennio secundi p.Ch.n. sæculi in 200 fere annos subegit et ubi lingua Dacoromanica, maxime orientalis omnium linguarum Romanicarum, hodie usurpatur. Augustus quidem suum imperium tam solidum reddiderat, ut dicta divisio in finem quarti p.Ch.n. sæculi differretur, quo Roma Constantino auctore caput orbis terrarum esse desierat et Constantinopolis in locum eius successerat.

Occidentalis pars imperii Romani paulo amplius octoginta annos stetit (395-476). Primo enim a Visigothis, deinde ab Hunnis vastata urbs Roma celeriter dilapsa est, simulque Germani provincias extra Italiam sitas invaserunt et potestate Romanorum liberaverunt. Anno 476 ultimus imperator Romanus, Romulus Augustulus, de gradu depulsus est.

Nihilo minus Latinitas ex interitu imperii Romani prope salva evasit, ut quæ ad civitates administrandas multo aptior esset quam linguæ Germanicæ, quæ nondum satis evolutæ in ea re Latinitati succubuerunt pariter ratione, ac Latinitas antea in orientali imperio Romano linguæ Græcæ cedere coacta erat. Cum vero schola Romana e provinciis abolita esset, nihil iam obstabat, quin sermo Latinus ubique in dialectos divideretur, quæ fundamenta futura essent singularum linguarum Romanicarum.

Simul ecclesia catholica, quæ post victoriam a fide Christiana de aliis religionibus reportatam etiam politica potestate creverat, in sacra liturgia puriorem Latinitatem colere pergebat. Præcipua mentione dignus est Carolus Magnus, rex Francorum (768-814), qui multas terras Europæ in potestatem suam redegit et, cum ultimis decenniis sæculi octavi pontificem Romanum efficaciter adiuvans sibi conciliavisset, ob id meritum anno 800 ab hoc imperator Romanus coronatus est. Is traditionibus Græco-Romanis nisus, quas se religione Christiana etiam nobilitare posse confidebat, res culturales imperii sui renovavit. Ad ampliandam institutionem, qua monachi benedictini iam inde a sexto p.Ch.n. sæculo in monasteriis adulescentes erudiebant, primas scholas cathedrales condidit, e quibus postea universitates studiorum mediævales ortæ sunt.

Ea ipsa ætate linguæ Romanicæ a Latinitatis similitudine adeo discesserant, ut iam pro dialectis huius haberi non possent. Tum Latinitas eam, quam commemoravi, condicionem nacta nullius sermo patrius erat, sed ubique pro prima lingua peregrina discebatur. Linguæ nationales cum ea certare nondum poterant, itemque Græca lingua, cum ecclesia quæ dicitur orthodoxa anno 1054 se ab ecclesia catholica Romana separasset, in terris occidentalibus ab usu remota est. Quin etiam *Græca sunt, non leguntur* in universitatibus studiorum mediævalibus dici solebat, si quid Græce scriptum in textu legendum occurrebat. Ne Aristotelis quidem opera plerumque nisi Latine reddita investigantur, ac plurimi Latine scribentes nonnisi e Versione Vulgata Bibliorum circiter anno 400 edita, etiam quod ad sermonem attinebat, exemplum petere consueverunt.

In universitatibus mediævalibus quaternæ erant facultates studiorum : theologica, iuridica, medicinalis, philosophica. Quoniam universitates sub auspiciis ecclesiæ catholicæ Romanæ evolutæ erant, theologia ex omnibus disciplinis longe plurimi fiebat, itemque disciplina scholastica eius adiutrix. Artes quæ vocabantur liberales, e quibus institutio philosophica et humanistica constabat, tantummodo fundamenta elementaria theologiæ habebantur, ut sententia pervulgata

Philosophia ancilla theologiæ ostendit. Universitates Bononiensis et Salernitana, quarum illa iuridicorum et hæc medicinalium studiorum sedes erat, magni quidem æstimabantur, sed minoris quam Universitas Parisiensis, ubi imprimis theologica studia colebantur.

Paullatim tamen, præsertim sæculo quarto decimo, multi tædio capti dogmatum rigidorum et assiduarum dissensionum, quibus ecclesia catholica laborabat, tutelam eius nimis duram et austeram existimare cœperunt. Ita ortus est motus humanismi, qui eo tendebat, ut hominibus ius liberius vivendi et cogitandi redderetur. Velut comes eius haberi potest alius motus, Francogallice *renaissance* et Italice *rinascimento* appellatus, desiderium antiquitatem Romanam iam diu prope oblivione obrutam resuscitandi. Cum permulti docti Græci e Bysantio, ubi Turci anno 1453 Constantinopolim deleverant, in occidentem confugissent, simile studium etiam antiquitatis Græcæ renatum est. Humanistæ, contra ac scholastici catholici, monebant non solum religionem Christianam, sed etiam antiquitatem Græco-Romanam homines et multa et multum docere posse. Ita pro sua parte aliquantum ad reformationem religionis movendam et ad minuendam auctoritatem ecclesiæ theologiæque catholicæ contulerunt. Simul Latinitatem a monachis theologisque usurpatam et barbarismis mediævalibus corruptam sibi purgandam susceperunt.

In ea re tamen nonnulli humanistæ manifesto modum excesserunt et inviti studiis Latinitatis haud paulum damni attulerunt. Cum e.g. Petrus Bembo verbum *excommunicare* medio ævo in usu stabilitum velut a classico sermone alienum reicere et elocutione Ciceroniana *aqua et igni interdicerere* (e.g. Epist. II, I, 2) compensare vellet ac postularet, ut ad veterem Romanam rationem temporis rediretur – scilicet ut anni

non iam a Christo nato, sed ab urbe condita numerarentur – aliaque similia suaderet, sine dubio multi iudicare cœperunt tempus esse Latinitate omnino desistendi ac novas linguas nationales, quæ iam velut adultæ cum Latinitate bene certare possent, in locum eius substituendi.

Sæculo septimo decimo, quo Ludovicus XIV in Francogallia regnavit, Latinitas paullatim in documentis publicis sermoni Francogallico cessit. Actorum pacis Vestfalianæ anno 1648 factæ nonnisi introductiva pars Latine conscripta erat; in Rastadiensis autem pacis documentis, qua bellum successionis Hispanicum anno 1714 compositum est, solummodo lingua Francogallica usurpabatur. Ita hæc Latinitate depulsa principatum internationalem diplomaticum obtinuerat; quem usque ad vicesimum sæculum conservavit. Post secundum bellum mundanum idem principatus imprimis Americanorum opera ad linguam Anglicam transiit.

In scholis et universitatibus Latinitas multo diutius lingua principalis mansit; nam terminologia Latina in diversis campis scientiæ creata ad omnem investigationem usque necessaria erat. Theologia autem principatum suum mediævalem paullatim amiserat: *philosophia* non iam ancilla eius, sed *regina scientiarum* habebatur, nec studia academica alumnos universitatum ad sola ecclesiastica munera præparabant. In dissertationibus academicis linguæ quæ dicuntur modernæ primis demum decenniis undevicesimi sæculi invalescere cœperunt.

Hæc habui, quæ de historia linguæ Latinæ referrem. In secunda parte commentationis meæ, quomodo Latinitas nostra ætate usque vivat et quid facere possimus, quo meliores vivendi condiciones assequatur, disseram. ❧

(continuabitur)

DVLCE BELLVM INEXPERTIS

Erasmus Roterodamus, adagium 3001

INEDITA HIERONYMI BONONII (1454-1517) EPIGRAMMATA FAMILIARIA (II)

– quæ primum publicavit Theodericus Sacré –

1. Mortem esse naturalem¹

Naturale mori magis est quam vivere : vitam
quisque potest, mortem perdere nemo potest.

2. Vitæ brevitatis²

Labitur exiguo demissa foramine arena
restat et in summa iam prope parte nihil.
Præterit haud aliter lapsis melioribus annis
in nihilum properans vitæque nostra perit.
Ite, voluptates, procul, o procul ite, caducæ :
crastina lux aufert contigerat quod heri.

3. Quod epigrammata sua non sint lasciva³

Quod lasciva parum mea sint epigrammata carpi
malo ego quam quod sint illa pudica parum.

4. In nequissimum quempiam⁴

Magnificus qui magna facit si iure vocatur,
esto parvificus tu quia parva facis.
Aut quia cunctorum es bipedum nequissimus, esto
nomine pravificus conveniente magis.

5. Vulgaris in sternutantes vanitas⁵

Nemo si 'salvus' pedenti dicit amico,
at sternutanti quilibet e populo,
o quam miranda est stulti imprudentia vulgi !
Nonne anima spirans exit utroque modo ?
Sternutet, pedat, ructet quis : dicere quicquam
(hoc natura facit) desine, turba rudis.

6. In monachos puellæ cadaver deglutientes⁶

Parcite virgineum, monachi, temerare pudorem
nudaque sarcophago reddite membra suo.
Egregiam stupidi faciem teretesque papillas
spectatis, ventrem, crura, labella, genas,
pubescens sine labe femur, genitalia claustra,
tergum, umeros, clunes, Pygmalionis ebur.
Si pietas vobis, reverentia siqua pudorque,
incorruptum esto corpus ut ante fuit.
Sit vivas stuprare satis quascumque potestis :

mortua sint saltem corpora tuta decet.

7. Cur lascivias epigrammatis suis caveat immiscere⁷

Nullas quod Veneres Cupidinesque⁸
nec diceria nec iocos procaces
nec convivia delicatiora
blande miscuerim meis libellis
vatum more epigrammatariorum,
quidam me modo criticus notavit.
Sanctarum ratio est habenda legum,
quales pro pietate Christiana
hoc ævo colimus severiore.
Nunc lascivia turpis improbatur,
sævis morsibus abstinere oportet
potare et grave crimen helluari est.
Hoc blandus redeat Catullus ævo :
mellitos oculos tuos, Iuventi⁹,
et te, Lesbia, basiare cesset¹⁰.
Uxor, vade foras, nimis pudica¹¹,
numquam dicere Martialis ausit.
Ætas quæque suo est colenda more.

8. Mensura hominis ex Plinio¹²

A summis digitis spatium dextræ atque sinistrae
est hominis plantas quod summo vertice ad imas.

9. Humanæ vitæ miseria¹³

Hoc nihil in mundo est præter nascique morique,
interea vero multa sinistra pati.

10. De Faustina¹⁴

Non est quod gestat collo Faustina monile,
est quæ captivos firma catena ligat.

11. De Fortuna¹⁵

Dat quoi vult, adimit quoi vult Fortuna. Quid ergo
trister ? Quod mihi deest cum volet illa dabit.

12. De sua tristitia¹⁶

Sollicitis frustra cælum mutatur inane¹⁷,
 mens eadem ruri est quæ modo in urbe fuit.
 Affectata diu turbantes otia curæ
 hinc illinc surgunt ; nil loca grata iuvant.
 Nunc mihi succurrit quam grandis filia, quam sint
 angusta nati condicione duo,
 quam simul ingentes augescant undique sumptus,
 quam fiant inopi lucra minora foro.
 Exhilarant animos Tempe non Thessala tristes ;
 curæ absint : quovis dulce manere loco est.

13. Ad hirundinem¹⁸

Quoi (rogo) tam dulces modulos effingis, hirundo,
 quoi matutinum garrula dicis 'ave' ?
 Nocte inter lacrimas misere gemitusque peractos,
 Lucifero Eoum præveniente iubar,
 en ego fata queror defuncti tristia nati,
 fletibus assiduis nec modus ullus inest.
 Ipsa foves caros solito modulamine fetus :
 heu quanto melior sors tua sorte mea est !

14. Ad amicum¹⁹

Non amo te propter tua munera, dulcis amice :
 grata mihi tua sunt munera, te quod amo.

15. De Pamphilo²⁰

Quod tua legitimo nupsit Telesina marito,
 uxorem quæres ducere liber homo.
 Idem animus mansit, mutatum est, Pamphile, crimen :
 concubitus simplex cessit adulterio.

16. De marito qui cum uxore obiit²¹

Vir poterat iuvenis præsentī enare periculo,
 obruta cum vastas prora subiret aquas.
 Coniugis amplexu dulcique retentus amore
 (quid non cogit amor ?)²² passus et ipse mori est.

17. Contrarium disticho Martialis²³

Inter quadrupedes vitulus, me iudice, lactens,
 inter aves palmam pipio pinguis habet.
 Exerce leporem cursu ; dare sibila doctus
 in cavea turdus nobile munus erit.

18. Ad Donatum²⁴

At, Donate, mihi dederis si dona frequenter
 talia, non Dorus sed Polydorus eris.
 Cœperis iis quædam si parvis addere magna,
 et Polydorus eris et Megadorus eris !

19. (De pace exoptata)²⁵

Pristina si redeant optatæ commoda pacis,
 candida si posthac fulgeat ulla dies,
 ausim vicinum fatis imitatus olorem
 non opico quædam scribere digna sene.
 Sin adversa suo pergit fortuna tenere,
 ingenium stupidus torpor obibit iners.
 Dulce melos repetit florenti vere canora
 Daulias, hiberno frigore muta silet²⁶.

20. Obitus catelli Hispani²⁷

Dum stimulat trepidos præceps auriga iugales
 et temere accelerans obvia nulla cavet,
 deliciæ Hispano catulus de semine nostræ
 occidit obtritus prætereunte rota.
 At semper quæcumque mihi est oblata voluptas
 protinus ex aliqua parte dolenda venit.

21. Quid sit iustitia²⁸

Iustitia est constans atque inconcussa voluntas
 unicuique suum ius bene distribuens.

22. Ornamentum speculi²⁹

Quid tantum speculo tumes inani ?
 Hunc fastum cita detrahet senectus. ❧

1. E codice m.s. 582/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, p. 355. Metrum : distichon elegiacum.
2. Ex eodem codice, p. 359. Metrum : disticha elegiaca. Poematium (excerptum e *Promiscuorum* libro quinto) edidit Pecoraro, 'Contributi biografici', p. 180 ; at v. ultimum mendis offuscatum edidit (« Crastino lux aufert quod contigerat heri »).
3. Ex eodem codice (p. 371) ; cfr. etiam cod. m.s. 962/1, f. 130v. Metrum : distichon elegiacum.
4. Ex eodem codice (p. 435). Metrum : disticha elegiaca.
5. Ex eodem codice (p. 479). Metrum : disticha elegiaca.
6. E codice m.s. 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 129r (e *Promiscuorum* libro sexto). Metrum : disticha elegiaca.
7. Ex eodem *Promiscuorum* libro et codice m.s. (f. 139r/v). Metrum : hendecasyllabi Phalæci. Ceterum a lasciviis, ut verum fateamur, ipse non abstinuit. Nam, ut alia mittamus, carminum collectio ea, quæ *Venus* inscribitur, lascivis versibus scætet : quam nos collectionem, ante hos octo annos quasi esset ignoti poetæ opus editam (cfr. M.L. Colker, 'Venus : A Humanist's Epigrams on Love', *Humanistica Lovaniensia*, 44 (1995), 107-136), re vera a Bononio scriptam esse validis, uti speramus, argumentis alias ostendemus.
8. Cfr. Catullus 3, 1.
9. Cfr. Catullus 48, 1.
10. Cfr. Catulli carmina quintum et septimum.
11. Cfr. Martialis II, 104.
12. Ex eodem codice, f. 215r (e *Promiscuorum* libro duodecimo). Cfr. Plinius, *Naturalis historia*, 7, 77 (« Quod sit homini spatium a vestigio ad verticem, id esse pansis manibus inter longissimos digitos observatum est (...) »). Metrum : versus heroi.
13. Ex eodem, f. 259v (e *Promiscuorum* libro quinto et decimo). Metrum : distichon elegiacum.
14. Ex eodem, f. 296r (e *Promiscuorum* libro duodevicensimo). Metrum : distichon elegiacum.
15. E codice m.s. 43 (olim II/36) bibliothecæ capitularis Tarvisinæ, f. 60v (e *Promiscuorum* libro octavo). Metrum : distichon elegiacum.
16. Ex eodem (f. 60v : ex octavo *Promiscuorum* libro). Metrum : disticha elegiaca.
17. Cfr. Lucretius, *De rerum natura*, 3, 1053-1075.
18. Ex eodem codice, f. 77r/v (e libro *Promiscuorum* nono). Metrum : disticha elegiaca.
19. E codice Cicogna 2666 musei Correr dicti Veneti, numeratis foliis carente. Metrum : distichon elegiacum.
20. Ex eodem. Metrum : disticha elegiaca.
21. E codice Cicogna 2665 eiusdem bibliothecæ (e *Promiscuorum* libro quinto et decimo). Metrum : disticha elegiaca.
22. Cfr. Vergilius, *Æn.* 4, 412.
23. E codice 962/1 bibliothecæ publicæ Tarvisinæ, f. 138r (e *Promiscuorum* libro septimo). Metrum : disticha elegiaca. Cfr. Martialis 13, 92.
24. Ex eodem codice, f. 194r (e *Promiscuorum* libro undecimo). Metrum : disticha elegiaca.
25. Ex eodem, f. 229v (e *Promiscuorum* libro decimo tertio). Metrum : disticha elegiaca.
26. Daulias (avis) : i.e. Iuscinia. Cfr. Catullus 65, 14.
27. Ex eodem libro m.s., f. 357v. Metrum : disticha elegiaca.
28. Ex eodem, f. 90r (e *Promiscuorum* libro tertio). Metrum : distichon elegiacum.
29. Indidem, f. 118r (e libro quinto *Promiscuorum*). Metrum : hendecasyllabi Phalæci.

LINGVA BELLARE adagium 1947

DE GLOBALISMO

- scripsit Francisca Promethea Barone -

Nobis¹ Circuli Latini Panormitani sodalibus globalismus quid sit definire contententibus, ad magnas ævi nostri et celerrimas significandas immutationes verborum circuitus, qui sequitur, aptissimus visus est : « Rerum permutatio quæ omnes terras quasi in globum unum noxiis nonnumquam cum exitibus temporibus nostris convertit ».

Conversio, in qua nostra quidem sententia globalismus consistit, vel potius redactio omnium terrarum ad unum, aspectus multiplices præ se fert unde redditur res sine dubio complexa.

Globalismus enim iam ab exteriore modo respectus res socialis videtur, quia hominum necessitudines (hominum secum ipsis et cum aliis, proximis vel maxime longinquis) mutavit ; res politica porro videtur necnon res ad cultum civilem pertinens : controversiis de causis pratermissis (sunt enim qui de huiusmodi dominandi studio loquantur) permutatio rerum est utcumque hominibus permutatio morum.

Attamen, etiamsi non hoc uno modo terminatur, globalismus est primum res œconomica. Qua de causa, cum absolutam rerum inquisitionem ad lineamenta globalismi omnia adumbranda perficere hic mihi non liceat, expositio, quæ sequitur, eo potissimum spectat, ut proprietates globalismi notentur œconomica.

Hac quidem ratione, globalismus est dominatus omnium plagarum terrarum orbis, recentioris huius temporis proprius, capitalismi liberalis, instituti quod sæculo decimo nono percrebrescentibus fabrilibus industriis enucleatum est in orbe occidentali, et cuius capita, sicut omnibus notum – qua de causa brevissime ea memorabo – sunt : primum separatio inter dominos opum pecuniarumque, qui totam summam bonorum et efficiendi instrumentorum possident, et opifices – proletarium – qui pro pretio soluto tantum operam dant ; deinde emporium, in quo merces varii generis – bona effecta, ministeria vel etiam capita pecuniarum – emuntur ac venduntur, in regimine liberæ æmulationis, pretio subiecto rationi oblationis bonorum cum postulatione ipsorum.

Hiscæ quidem temporibus, et præsertim post collectivismi Marxiani occasum, ubique fit mercatura ad exemplar populi occidentalis.

Ergo globus unus, in quo omnes terræ conversæ sunt, certo quodam pacto est emporium permagnum ; in quo res artibus hominis perfectæ vel ministeria vel etiam capita pecuniarum, libertate fere infinita, undecumque proficiscuntur, in variis orbis terrarum regionibus circumferuntur, limitibus ideologicis, cum taxationibus conexis vel ad emporia pertinentibus supergressis.

Globalismus est igitur, ut paucis dicam, interminata negotiatio, cuius causa (vel gratia, sit sua cuique sententia) omnes Potionem Americanam bibunt, bracas cæruleas induunt, et computatris utuntur (iam diximus, ceterum, de globalismi modo sociali atque ad cultum civilem pertinente).

Quod ad historiam pertinet, globalismus momentum videtur historiæ illius occidentalis post Americam repertam inceptæ, quæ etiam propter variorum generum colonicam dominationem necessitatibus œconomicis nationum fines magis egredientibus magisque denotatur.

Attamen hodiernæ « rerum permutationis » origines repetuntur potissimum de scientiarum et artium technicarum frequenti profectu, qui sæculi duodevigesimi et undevigesimi proprius his proxime actis temporibus velocius in dies factus est.

Utrumque est, redactio hodierna omnium terrarum ad unum præsertim eruitur ex mutatione, decennio ab septuagesimo anno ineunte, ad informaticam pertinente : emporium unum in quo hodie versamur habet pro certo in Interrete suum fundamentum.

In historicis hodiernis adiunctis, præcipui auctores rerum œconomicarum, sicut politicarum et socialium, sunt illæ consociationes permagnæ bonis gignendis necnon vendendis quæ, officinas et mercatum in toto orbe habentes, « societates multinationales » vocantur.

Quæ post pancosmium bellum alterum ortæ varia artificia gradatim invenerunt, ut minimi sumptus redederunt, cum quæstus contra auferentur.

Nam, societates multinationales, ut definitius dicam (hac ratione, de flexibilitate loquantur) :

- eligunt ad officinas collocandas loca quam proxima opibus, ne subvectionibus opus sit ;
- eligunt ad officinas collocandas nationes parum progressas quæ legibus ad naturam servandam ac tuendam careant quibus modus circumfusi æris contaminationi constituatur, cum detrimento naturæ manifesto ;
- eligunt denique ad officinas collocandas nationes pauperes ubi, cum leges ad laborem pertinentes desint, vis laborandi minimi ematur. Etenim opifices accipiunt mercedem ridiculam, e. g. circiter 0,14 nummos Europæos in hora ; quæ merces vel minor fit si de pueris agitur – societates enim multinationales labore puerorum abuti solent quia minoris constat ; ex altera parte pueri, sicut viri mulieresque, paupertate coguntur ad mercedem accipiendam quantacumque est – ; præterea, opifices nimio labore defatigantur (aliquando coguntur ut noctu quoque laborent et in officinis dormiant) ; officinæ nullo modo sunt tutæ et interdum

fenestris clatratis instructæ. Sæpe opifices vapulant et omnes indignitates perferunt nec novæ huic formæ oppressionis sese subtrahere valent etiam cum ius libere sese congregandi vel opificum collegia excitandi eis negatum sit. Ut videtur, operis eæ condiciones a formis ipsius servitutis, ceterum iamdudum abolitæ, haud facile distinguuntur.

- Quibus omnibus addatur oportet quod societates ipsæ multinationales ad bona effecta vendenda nationum magnis opibus præditarum eligunt emporia.

En igitur lineamenta systematis internationalis commercii in quo globalismus consistit : bona pro parvo pretio in altera parte orbis terrarum effecta in altera parte pro magno pretio veneunt ad utilitatem societatum multinationalium, cum damno vero hominum magno et naturæ.

Ergo, huius globalismi causa divites ditiores evadere possunt dum pauperiores fiunt pauperes. Quorum condicio in hodierno historiæ decursu vehementer est in peius conversa ita ut hiatus inter orbis terrarum regiones non persistat modo, sed etiam augetur, cum in pauperibus et parum progressis provinciis pars maxima hominum degat.

Hac in rerum definitione, prima ostenditur ratio hodiernis quibusdam dictionibus subiecta : nam, cum omnes terræ quasi in globum unum conversæ sint, tamen in recentiore hominum sermone mentio fit sæpe de variis orbibus intra unicum orbem : de primo mundo videlicet, de secundo, de tertio, et interdum de quarto.

Addere hoc loco oportet quod adsunt instituta politica internationalia, quæ, cum sint ineptæ singularum nationum leges, rationem bona efficiendi ac vendendi, quam aperuimus, regere possint.

Ergo, ut paucis dicam, globalismi exitus noxii sunt:

- violatio iurium humanorum ;
- iniquitas in bonis ac ministeriis distribuendis ;
- detrimenta naturæ (prætermitto pericula de opum usu, quæ adhibentur quasi inexhaustæ essent).

Quibus consideratis, facilius intellegi possunt certamina quibus mundus hodiernus laborat et dissensiones permultæ quæ cotidie bella minantur, necnon acerbissimum huius temporis exitium, quod est tromocratia.

Sicut Pius XII Isaiam prophetam imitatus dixit :
« Opus iustitiæ Pax »².

Sic stantibus rebus, permulti sunt qui huic globalismo œconomico vehementer resistant, faveant vero tolerabili, ut dicitur, profectui, qui rationem iurium

hominum habeat et congruat cum necessitatibus naturæ ; profectui, inquam, quo omnes perfrui possint et qui temporis nostri futuri non destruat fundamenta.

Quod ad res politicas pertinet, ii ipsi sollicitant internationalem temperationem altiore gradu, quæ hominibus consulat et naturæ, nec rei œconomicæ serviat.

Nunc, ut ad quæstionem, mea quidem sententia, præcipuam totius oratiunculæ transeam : quomodo hæc bella contra huiusmodi globalismum geruntur ? Quid facere possunt qui æquioris societatis conditores pacisque auctores esse velint ?

Duæ sunt, mea quidem sententia, res maximi momenti :

- Primum, quam plurimos rei certiores facere, cum nemo alicui rei resistere possit, quam ignoret ;
- Dein, eligere quid ematur (id quod Prudens Consumptio vocatur). Respuendo bona iniuste effecta (id est, neglectis hominum et naturæ iuribus), eligendo vero bona secundum iustitiam effecta (hoc loco mentio fiat oportet de tabernis Commercii illius Æqui quod inter gentes sodalitates causa institutum est), nos omnes iustitiæ pacique cotidie cooperari possumus.

Ne quis dicat (vel cogitet) huiusmodi arma vel instrumenta nihil valere : conatus adhuc patrati haud spernendos successus obtinuerunt, cum societates multinationales nonnullæ, e.g. ea quæ Nike vocatur, hoc modo coactæ sint, ut leges sibi darent, unde opificum condiciones meliores redderentur.

Ne rem in longum ducam : viri et mulieres, in variis orbis terrarum partibus degentes, violationes iurium humanorum longinquis in regionibus actas tamquam proprias sentiant, hoc quoque globalismum esse, sed alius generis. ❧

1. Acroasis in sessione Circuli Latini Panormitani ante diem v^m idus Ianuarias habita.

2. *Vulg.* Is. 32, 17.

NAVIGATIO SANCTI BRENDANI (IV)

– *historia mediævalis adaptata a Francisca Deraedt* –

Sanctus Brendanus, statim ut agnovit illius loci¹ decretum, fratres suos admonebat, dicens : « Abstinete a locutionibus, ne isti fratres vestra scurrilitate polluantur. » His dictis, ecce fratres obviam occurrerunt cum capsis et crucibus et hymnis : « Surgite, aiebant, sancti Dei, de mansionibus vestris et proficiscimini obviam veritati. Locum sanctificate, plebem benedicite, et nos famulos vestros in pace custodire dignemini. » Postea pater monasterii osculatus est sanctum Brendanum et eius socios, per ordinem. Similiter et eius famuli osculabantur familiam sancti viri.

Data pace vicissim, eos duxerunt in monasterium, sicut mos est in occidentalibus regionibus fratres inter orationes ducere². Post hæc abbas monasterii cum monachis cœpit lavare pedes hospitem et cantare antiphonam : « Mandatum novum »³. Deinde magno silentio eos duxit ad refectorium, ubi signo dato lotisque manibus fecit omnes residere. Iterum dato secundo signo, unus e fratribus monasterii surrexit ministravitque panes miri candoris et radices quasdam incredibilis saporis. (...) Idem minister dato signo ministrabat potum.

Abbas hortabatur fratres, magna hilaritate dicens : « Ex hoc fonte e quo hodie furtim bibere voluistis, facite caritatem. Ex altero fonte turbido quem vidistis lavantur pedes fratrum omni die, quia omni tempore calidus est. Panes vero quos videtis nobis ignotum est ubi præparentur aut quis portet ad nostrum cellarium. Sed tamen notum est nobis hanc esse magnam elemosynam a Deo ministratam. »

Postquam ter biberunt, abbas solito more dedit signum, et fratres unanimiter magno silentio et gravitate surrexerunt, antecedentes sanctos patres ad ecclesiam. (...)

Cum autem vespertas cantavissent, Brendanus cœpit considerare quomodo illa ecclesia esset ædificata. Erat enim quadrata, tam longa quam lata, et habebat septem luminaria, tria ante altare quod erat in medio, et bina ante alia duo altaria. Erant autem altaria e crystallo facta, et similiter e crystallo facta erant eorum vascula, id est patenæ⁴, calices et urceoli, et cetera vasa quæ pertinebant ad cultum divinum, et viginti quattuor sedilia. Locus vero ubi abbas sedebat erat inter duos choros. Incipiebat⁵ enim ab illo una turma et in illo finiebat, et altera similiter. Nullus ex utraque parte audebat incohare versum, nisi abbas ipse. Non in monasterio ullam vocem ullumve strepitum quisquam præsumebat. Si quid necesse erat alicui fratri, ibat ad abbatem et genu flectebat coram eo, in corde suo postulans quæ necessitas poscebat. Statim sanctus pater, accepta tabula et graphio, per revelationem Dei scribebat et fratri dabat consilium postulatum. (...)

Brendanus sanctum patrem interrogavit de tali

silentio et conversatione, quomodo hoc fieri posset in humana carne. Pater autem, magna cum reverentia et humilitate, respondit hæc : « Abba, coram Christo meo fateor : octoginta anni transacti sunt, e quo venimus in hanc insulam. Nullam vocem humanam audivimus, præter laudes quas Deo cantamus. Inter nos vox non excitatur nisi per signum digiti aut oculorum, tantum a maioribus natu. » (...)

Cum hæc aliaque inter se loquerentur, ecce ante eorum oculos sagitta ignea per fenestram immissa omnes lampades incendit, quæ erant ante altaria positæ. Quo facto sagitta foras confestim revertit. Iterum interrogavit beatus Brendanus : « A quo extinguuntur mane luminaria ? » Cui sanctus pater respondit : « Veni et vide sacramentum rei. Ecce, candelas vides in mediis vasculis ardentes. Tamen neque exuruntur, neque mane ulla favilla remanebit, quia spiritale lumen est. » Tum Brendanus : « Quomodo, ait, potest in corporali creatura lumen incorporale corporaliter ardere ? » Senex respondit : « Nonne legisti de rubo ardenti in monte Sinai ? »⁶ (...)



AQUA SOPORIFERA

Transactis festivitibus, accepta annona et benedictione sanctorum virorum, beatus Brendanus cum suis sequacibus tetendit vela, et sive navigio sive velis navis ferebatur per diversa loca.

Quodam die insulam viderunt. Fratres tunc cœperunt acriter navigare, quia fame et siti iam valde vexabantur. Nam ante triduum defecerat victus et potus. Cum sanctus pater benedixisset portum et omnes descendissent e nave, invenerunt fontem lucidissimum et herbas diversas ac radices diversaque genera piscium.

Sanctus Brendanus fratribus dixit : « Deus nobis

consolationem hic dedit post laborem. Accipite pisces atque assate eos. » Et ita fecerunt. Sed cum aquam haurirent : « Fratres, inquit, cavete ne supra modum utamini his aquis, ne graviter vexentur corpora vestra. » Fratres autem bibebant, alii singulos calices, alii binos, alii etiam ternos ; hos oppressit somnus trium dierum noctiumque, alios duorum dierum noctiumque, ceteros unius diei et noctis. Interea pater sine intermissione deprecabatur Dominum pro fratribus suis, quibus per ignorantiam tale contigerat periculum. (...)

MARE COAGULATUM

Porro post tres dies et tres noctes cessavit ventus et mare visum est quasi coagulatum præ nimia tranquillitate. Sanctus pater dixit : « Mittite remiges et laxate vela. Deus navem gubernet quocumque vult. » Ferebatur itaque navis circiter per viginti dies.

CELEBRATIO FESTORUM

Quodam vero die eis e longinquo apparuit insula. Sanctus interrogavit : « Filioli, cognoscitisne vos illam insulam ? » « Minime », responderunt. Tum ille : « Ego cognosco. Est enim insula ipsa, in qua anno præterito fuimus, ubi noster bonus procurator⁷ commoratur. » Fratres tunc præ gaudio cœperunt acriter navigare. Quod videns vir Dei dixit : « Nolite, pueri, stulte fatigare membra vestra. Nonne Deus omnipotens est gubernator nostræ naviculæ ? Sinite, nam ipse iter nostrum dirigit sicut vult. »

Cum appropinquarent ad litus insulæ, eis obviam venit procurator, qui duxit eos ad portum ubi præterito anno de nave descenderant, magnificans Deum et osculans pedes singulorum. Idem tentorium extendit et balneum præparavit – erat enim Cena Domini – et omnes fratres novis vestimentis induit. (...)

PISCIMUM PUGNA

Venerabilis pater cum suis sodalibus navigavit in oceanum, et navis per quadraginta dies ferebatur. Quodam vero die eis apparuit bestia immensæ magnitudinis, quæ spumas naribus iactabat undasque velocissimo cursu sulcans videbatur eos devoratura. Fratres clamabant : « Libera nos, Domine, ne nos devoret ista belua. » Brendanus autem eos confortabat his verbis : « Nolite expavescere, homines minimæ fidei. Deus, qui semper est noster defensor, ipse nos liberabit ab ore istius bestię et a ceteris periculis. »

At appropinquante bestia fiebant undæ miræ altitu-

dinis. Fratres magis magisque timebant. Venerabilis quoque senex, extensis manibus ad cælum, oravit : « Domine, libera servos tuos, sicut liberasti David a manu Goliæ gigantis. Domine, libera nos, sicut liberasti Ionam a ventre ceti magni. »

Tum ecce altera belua iuxta eos transiit adversus priorem. Quæ bellum statim suscepit contra eam, ignem ore emittens. Senex autem fratribus : « Videte, inquit, filioli, magnalia Redemptoris nostri. Modo expectate finem rei. » Et misera belua quæ persequebatur famulos Christi coram eis est interfecta in tresque partes dissecta, atque altera post victoriam adeptam revertit unde venerat.

INSULA TRIUM CHORORUM

Quodam vero die e longinquo viderunt insulam. Sanctus Brendanus interrogavit : « Videtisne illam insulam ? » Responderunt : « Videmus. » Sanctus autem : « Tres populi, ait, sunt in illa insula, unus puerorum, alius iuvenum, tertius seniorum. Ceterum unus e fratribus vestris illic peregrinabitur. » Fratres interrogabant quisnam esset. Ille eos tristes videns dixit : « Iste est ille frater qui permansurus est ibi. » Qui fuit unus e tribus fratribus, qui Brendanum e monasterio subsecuti erant, et de quibus futura prædixerat, cum navem in patria conscenderent⁸. ❀

(continuabitur)

1. Agitur de « insula exemplaris monasterii », in qua silentium imponitur. Vide *Melissæ* fasciculum 112, p. 15.

2. Hoc enim modo hospites accipiendi sunt secundum Regulam Sancti Benedicti, cap. 53, de hospitibus suscipiendis : « Ut ergo nuntiatu fuerit hospes, occurratur ei a priore vel a fratribus cum omni officio caritatis ; et primitus orent pariter et sic sibi socientur in pace. »

3. Evangelium secundum Iohannem, 13, 34.

4. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, VI p. 208 : Patena est vas Ecclesiæ ministeriis dicatum, cuius usus in oblatione Corporis Domini olim fuit, et iam est. (...) Unde *Venire ad patenam*, pro ad offerendam seu oblationem inter missarum sollempnia procedere, ubi patena deosculanda præbetur.

5. Sc. cantare.

6. Ex. 3, 2 : « Apparuitque ei angelus Domini in flamma ignis de medio rubi ; et videbat quod rubus arderet et non combureretur. »

7. Vide *Melissæ* fasciculum 111, p. 16. Hoc capitulum, quo monachi iterum appellunt ad insulas, ubi iam antea fuerunt, præ narrationis longitudine non ultra explicabimus. Procurator viatoribus necessaria præbet atque eos mittit ad insulam avium nobis iam notam. Quo facto iter pergunt...

8. Vide *Melissæ* fasciculum 110, p. 15.

LITTERÆ HODIERNIS IUVENIBVS ADAPTANTVR

- scripsit Brennus R. Bishop -

Brennus Bishop Anglus, lepore suo solito, de institutione hodiernis discipulis adaptanda nonnulla hic narrat, quæ vobis fortasse videbuntur phantasmatica. Sunt autem re vera vera ! Res revelata est in diario c.t. Daily Mail, die 8 m. Februarii huius anni, sub hoc titulo : « Vates pro stultis : Studentes examina superare possunt sine ullo Shakespearii verbo lecto. »¹

Nuper ministri Britanni ab institutione [Minister for Education's] 'Consilium publicum notis tribuendis et curriculis approbandis' [Qualifications and Curriculum Authority] edidit regulas de probatione nova linguæ et litterarum Anglicarum liberis quattuordecim annos natis. Inter duas partes probationis de dramaturgo Gulielmo [William] Shakespeare, sola illa de lectione, quæ 18 punctos ex 38 valet, unam fabulam scænicam illius legere postulat. Altera pars sine ulla dramaturgi notione responsum requirit. Commendavit quoque anno 2002, quamquam ministra illo tempore se opposuit commendationi, ut tempus ad illius fabulas probandas deminueretur usque ad 45 minutas. Scrutatores illud consilium publicum monuit ut studentes tantum ex verbis, non ex fabulæ scænicæ receptione æstimarent.

Ecce exempla harum quæstionum ut ipsi iudicetis :

1. Fabulam *Henry V* [Henrici Quinti] spectantes regem admirari possunt ducem validum heroæque. Hic nuntius in bibliotheca urbis tuæ apparuit :

« Avete, iuvenes scriptores. Bibliotheca vestra colligit scriptorum nomina in indice *Homines quos admiramur* vocato. »

Si tu vis nomen tuum in hunc indicem inseri, tibi necesse est :

- hominem illustrem vel tibi notum eligere ;
- quæ hic homo fecerit recensere ;
- quibus virtutibus hic tantam dignitatem habeat explicare ;
- symbolam tuam pro indice scribere.

2. In fabula scænica *Twelfth night* [Nox trium regum], Malvoglio [Malevolentii] homines, qui delectantur et genio indulgent, displicent. Animo finge te Malevolentem hodiernum fieri, qui omnes iocos ludosque in schola tua impediatis. In contione studentium scholæ tuæ tibi explanandum est, cur tres ex his rebus sequentibus vetandæ sint :

- poma fricta ;
- ioci ;
- risus ;

- alumni qui studere cupiunt ;
 - cantus et modi ;
 - ludi physici.
- Quæ tu in contione dicas scribe.

Ecce quæstiones propositæ pro probationibus de litteris Latinis. Vos, carissimos lectores, rogo ut in vestram linguam has quæstiones vertatis, nam nequaquam nos oportet studentes linguæ Latinæ Latina lingua ipsa perturbare :

1. Primum Taciti lectiones.

Nero imperator matrem necavit (Cornelii Taciti *Annales*, XIV 3-9).

(a) Matrem tuam maxime duodecim verbis tua lingua describe.

(b) Quid agit mater tua ?

(c) Etiam si matrem vel patrem necare non vis, quo modo id faceres ?

(d) Quem necare velis ?

(e) Decem verba tua lingua quæcumque scribe.

2. Deinde studia Vergiliana.

Regina Dido ducem Ænean in secundo libro *Æneidos* (4.165) in spelunca amavit.

(a) De amico tuo vel amica tua decem verbis narra ;

(b) Speluncam, quam umquam visitavisti, vel de qua alicubi legisti, maxime duodecim verbis describe ;

(c) Tibine placet amore amicum vel amicam amplecti ? (Ita / Minime)

(d) Scrutatorerne tuorum responsorum amas ? Dic uno verbo.

In eo quod ad litteras Latinas refert, etiam ego iam commendavi libros scriptricis Colleen McCullough, quæ eventus Ciceronis et Cæsaris et multorum aliorum Romanorum ætatis Reipublicæ vivide in fabellis longis Anglice descripsit recte ex fontibus Latinis². Præterea gradum in universitate litterarum Latinarum in Britannia per versiones Anglicas adipisci potes.

Olim de totis libris *Iliadis*³ in tantum quinque minutas imminutis et, etiam utilius, *Odysseæ* et præterea tribus fabulis *Ædipodis* scænicis Sophoclis⁴ in unam minutam imminutis legi. Londinii est duorum histriorum grex, qui omnes Gulielmi Shakespeare fabulas uno vespere (attenuatas) ludunt.

Possunt, quia posse videntur, [*Æneidos* V, 231]

Latinistæ omnia scripta Latina in uno volumine amplecti. Immo in una pagina, in una sententia. Cur in

una tota sententia ? Quippe in uno verbo, una littera – Anglice. Quis nostrum hanc accurate exaratam sententiam, hanc litteram (sane Anglicam) componere et proponere audebit ? Opem ferre, statim, nam maximi momenti est ut artes linguaque Latinæ sempiternæ quam amplissime in futurum maneant.

Interea ego omnia orbis terrarum opera Sanscritice, Ægyptiace, Græce, Latine, Sinice, Arabice etc., etc., scripta summatim suspirii sonitu amplectar... ❧

1. *Daily Mail*, die 8 m. Februarii a. 2003, p. 34 : « Dumbed down Bard: Pupils can pass exam without reading a word of Shakespeare », symbola a Laura Clark, diurnaria ab institutione.

2. Colleen McCullough – series circiter sex librorum *Masters of Rome* [Domini Romæ], quorum primus *The first man in Rome* [Primus Romæ], Arrow Books, 1991+, ISBN 0-09-979230-3.

3. *The Five-Minute Iliad and Other Instant Classics : Great Books for the Short Attention Span* [Ilias quinque minutis et alia opera classica extemplo legenda : magni libri pro tempore attentionis brevi] - Greg Nagan

Vide quoque:

http://www.bu.edu/mahoa/prose_iliad.html

http://www.bu.edu/mahoa/prose_odyssey.html

4. <http://rinkworks.com/bookaminute/classics.shtml> Book a minute [Unus liber, una minuta]. Ecce de Cēdipode :

Prophecy : Laios and Iocaste, your son will kill his father and marry his mother.

Laios and Iocaste : Let's kill it.

Prophecy : Cēdipus, you will kill your father and marry your mother. (Cēdipus runs away and fulfills the prophecy.)

Everyone : Woe are us. (die) THE END.

i.e. :

Vaticinatio : Lai et Iocasta, filius vester patrem necabit, matrem uxorem ducet.

Laius Iocastaque : Eum necemus.

Vaticinatio : Cēdipe, patrem necabis, matrem uxorem ducis.


(Cēdipus fugit et vaticinationem præstat).

Omnes : Eheu ! (moriuntur) FINIS.

5. <http://www.uweb.ucsb.edu/~jce2/mont.html>

<http://www.uweb.ucsb.edu/~jce2/monterrosor3.htm>

NOVVS LIBER



G. IMMÈ, *Hirundo et canis*, coll. Babel-Nova (Latine scire, gradus secundus), Marigliano, Itilibri, 2003, 48 p.

Director huius domus editoriaë (quæ Melissæ lectoribus iam est nota : vide fasciculum 103 p. 16) scholarum discipulis proponere vult exempla hodiernæ Latinitatis, ita ut intellegant linguam Latinam non esse rem antiquam prorsusque mortuam, sed nostra quoque ætate in usu esse. Eius libri sunt toti Latini, etiam in adnotationibus, ut in qualibet natione possint legi. Genovefa Immè hac occasione lepide, ut est mos eius, narrat historiolum hirundinis, Volaticulæ nomine, quæ mirum in modum amica fit crassi canis Nigrini. Singulæ paginae præter fabulæ textum sua præbent exercitia suamque imaginem. Et textus et exercicia ita sunt excogitata, ut discipulus assuescat cursivæ, quam vocant, lectioni. Si talium textuum magnam copiam legerint discipuli, multo facilius accedent postea ad classicos auctores. Neque eis, qui violentas fabulas spectare soleant, nocet aliquando legere de parvula hirundine... Libellus constat quinque euronibus.

I.S.B.N. 88-87738-08-4. Stefano Monda - Itilibri, Corso Campano, 35 - I-80034 Marigliano. Tel. +39 081 841 10 15.

IN MEMORIAM INCLYTAM CLEMENTIS DESESSARD

– scripsit Gaius Licoppe –

Die 21 m. Februarii vita functus est Clemens Desessard, unus ex eximiis Latinitatis Vivæ fautoribus. In urbe Telone Martio (v. *Toulon*) anno 1920 natus, studia secundaria ibi perficit. Tunc temporis literæ Latinæ et Græcæ minus attractivæ ei videntur quam scientiæ naturales.

Anno 1939 Scholam Classis Æriæ intrat, sed paulo post, studiis clade Francogallica interruptis, in Marocium mittitur una cum ala classis æriæ. Exeunte anno 1942, cum Americanorum exercitus in Africam Septentrionalem expositus esset, indutias cum Germanis post clade factas rumpit atque Magnam Britanniam petit, ubi fit navigator in turma æroplano-
rum bombiferorum.

Bello finito, studia perficit in Instituto Polytechnico Gratianopolitano (v. *Grenoble*). Ingeniarius radiotechnicus factus, usque annum 1966 variis muneribus fungitur in classe æria, ubi gradum colonelli obtinet. Postea operam dat in Societate Nationali Ærospatiali tamquam machinator civilis usque annum 1982, quo rude donatus est.

Non crederes talem virum pronum fieri potuisse ad sermonem Latinum exercendum et propagandum. Ex belli tamen experientia mente conceperat quanto detrimento Europæis fuissent fanatici nationalismi ; valde ei placebat consilium Europæ couniendæ post bellum ortum, sed de necessitate linguæ Europæis communis multum cogitabat. De lingua Latina olim in schola discita recogitare cœpit, libros Latinos iterum aperuit... et fortasse nihil suscepisset, nisi quid inopinanter accidisset. Nartando enim cum crus fregisset, in nosocomio sex septimanas iacere debuit. Ad tempus terendum in Latinum vertit Titini facinora, quæ narrantur sub titulo qui est *De Rachami Rubri thesauro*.

Eodem fere tempore aliquid fortuito audivit de consociatione Vita Latina atque anno 1958 eius primi conventus acta emit, in quibus legit hæc : « ... quod nihil obstat quominus methodus *Assimil* quæ dicitur adhibeatur... ». De hoc consilio diu cogitavit, dubitans num talem rem suscipere valeret ; anno 1963 domum editoriam *Assimil* de proposito suo interrogare tandem ausus est, quod inexpectato modo placuit. Restabat ut ipsa methodus excogitaretur et componeretur, id quod fieri potuit iuvantibus Patre Basilio Hypeau O.S.B. et Oreste Badellino, lexicographo Taurinensi (v. *Torino*). Liber c.t. *Lingua Latina sine molestia* Parisiis editus est anno 1966 et postea compluries iterum editus. Versio Italiana etiam est anno 2002 divulgata.

Anno 1963 Clemens Desessard tertium Conventum Internationalem Vivæ Latinitati Fovendæ Argentorati (v. *Strasbourg*) participavit, ubi in acroasi c.t. « Non



Clemens Desessard anno 1984 inter primas
Ferias Olbienses, una cum Diana Licoppe.

sufficit Latinum sermonem inter doctos communem esse » propositum methodi *Assimil* prænuñtiavit. Omnes conventus Latinitatis Vivæ postea actuose participavit.

Cum Vocis Latinæ fasciculum 69 aliquando legeret, comperit Patrem Suitbertum Siedl, Austriacum, pro Opere Fundato Latinitate « *Ferias Latinas Tiniacenses* » (v. *Teinach*) in Slovenia anno 1982 primum instituisse atque tales *Ferias Olbiæ* (v. *Hyères*) in Provincia anno 1984 instituturum esse. Itaque ad Patrem Suitbertum statim scripsit auxilium suum offerens, cum ipse in Provincia natus esset. Ab eo tempore Clemens Desessard *Ferias Latinas* in Provincia quotannis ordinavit, Olbiæ imprimis, postea *Sophiæ Antipoli* (v. *Antibes*), *Nicææ* (v. *Nice*), denique in Abbatia *Ferigoletensi*. Pater Suitbertus *Ferias* non diu moderatus est ; eius munere etiam fungi debuit Clemens Desessard, nonnullis adiuvantibus.

Grandævus et gravi morbo affectus, his novissimis annis *Ferias* ipse vix curare poterat. Feliciter Iohannes Claudius Champeau, etiam Provincialis et fidelis *Feriarum* particeps, eius vicarius et successor factus est.

Mihi gratiæ singulares Clementi Desessard agendæ sunt ; nam Latinitatem vivam primum novi cum eius methodum *Assimil* fortuito invenirem. Ipsum Clementem primum conveni Augustæ Treverorum (v. *Trier*) anno 1981 inter Conventum *Academiæ Latinitati Fovendæ*. Inde bonam consuetudinem iunximus, cuius serenitas anno 1991 querela quadam perturbata est ; Clemens tamen bonum Latinitatis Vivæ iracundiæ suæ semper anteposuit ; quare, eo invitante, *Ferias Latinas*, quibus nonnullos annos iam non intefueram, his novissimis annis libenter iterum participavi.

Optime meritis est Clemens Desessard de Latinitate viva et de cultu Europæo vivificando. Sit ei terra levis. ❧



In hoc fasciculo !

Turcia qualis sit [G. Licoppe] p. 1

Latinitas et ceteræ linguæ Unionis Europææ [E. Palmén] p. 3

Inedita Hieronymi Bononii epigrammata (II) [Th. Sacré] p. 7

De globalismo [Francisca Promethea Barone] p. 10

Navigatio Sancti Brendani (IV) [F. Deraedt] p. 12

Litteræ hodiernis iuvenibus adaptantur [Brennus R. Bishop] p. 14

Orbis Latinus p. 15

LATINE LOQVI...

MELISSÆ NOVA SEDES INTERRETIALIS

<http://membres.lycos.fr/melissalatina>

<http://www.melissa.int.ms>

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

vos invitat ad sessiones Parisiis participandas his diebus : 18 m. Ianuarii, 8 m. Martii, 26 m. Aprilis, 14 m. Iunii a. 2003 in Instituto Universitario Sancti Pii X, 21 rue du Cherche-Midi, hora 14. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Dominicum Viain : dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Conventiculum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad undetricesimum agitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiler Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

habebitur mense Iunio anni 2003 in media Vasintonia Civitate (in America Septentrionali), moderantibus Stephano Berard, Terentio Tunberg et Iacobo Dobreff. Sessiones præparatoriæ : diebus 19 et 20 ; conventiculum : de die 21 usque ad diem 29. Quæ erit pulchra occasio et sermonis Latini exercendi et montium silvarumque lustrandarum. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem Stephanum Berard : sberard@wvc.edu

FERIÆ LATINÆ

Media in Provincia, in abbazia Sancti Michælis Ferigoletensis, loco amœnissimo et quietissimo, a die 23 ad diem 30 m. Iulii fient feriæ æstivæ inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Dominicum Viain, 18, rue Saint Jacques, F-91410 Dourdon, vel Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminaria Societatis Latinæ sunt prima huius generis, quæ inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P. C. Eichenseer et Doctrix S. Albert. ¶ Duo seminaria anno 2003 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 20-26 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbazia Maretolensi : 6-12 m. Augusti. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

SEMINARIVM VINDOBONENSE

institutum a L.V.P.A. et Fundatione Melissa, in Austria fiet a die 4 in diem 11 m. Augusti a. 2003 in monasterio Sanctæ Crucis, non longe a Vindobona. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant sive ad Ingam Pessarra, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen (ipg@surfeu.de), sive ad Gaïum Licoppe, avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles (guy.licoppe@pophost.eunet.be)

SEPTIMANA AMCENEBVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 27 m. Iulii ad diem 2 m. Augusti a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)

SOCIETAS INTERNATIONALIS STVDII NEOLATINIS PROVEHENDIS

duodecimum Conventum a die 3 ad diem 9 m. Augusti a. 2003 Bonnæ apud Germanos celebrabit. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem M. Laureys, Universität Bonn, Seminar für lateinische Philologie des Mittelalters und der Neuzeit, Am Hof, 1e, D-53113 Bonn.

SYMPOSIUM LATINVM

Arimini instituetur ab Academia Scientiarum internationali Sanmarinensi a die 1 ad diem 5 m. Septembris a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt acroasinve facere cupiant, scribant ad Veram Barandovská, Kleinenberger Weg, 16, D-33100 Paderborn (bbaral@hrz.uni-paderborn.de)